

## Psalmus responsorius

Ps 138, 1-3. 13-14. 15 ( R̄: 14a)

R̄. Confitébor tibi, quia mirábiliter plasmátus sum.

<sup>1</sup> Dómine, scrutátus es et cognovísti me,  
<sup>2</sup> tu cognovísti sessiÓNem meam et resurrectiÓNem meam.  
Intellexísti cogitatiÓNes meas de longe,  
<sup>3</sup> sémitam meam et accúbitum meum investigásti.  
Et omnes vias meas perspexísti. R̄.

<sup>13</sup> Quia tu formásti renes meos,  
contexuísti me in útero matris meæ.  
<sup>14</sup> Confitébor tibi, quia mirábiliter plasmátus sum;  
mirábilia ópera tua,  
et ánima mea cognóscit nimis. R̄.

<sup>15</sup> Non sunt abscóndita ossa mea a te,  
cum factus sum in occúlto,  
contéxtus in inferiÓribus terræ. R̄.